De repudiatione.

26. Iidem AA. & CC. Fortunato, alias Cajano.

EX repudiatione [1] fideicommiſſi, doli [2] mali exceptio juſta cauſa intercedente tunc opponitur, quando ipſe, cui fideicommiſſum relictum eſt, repudiatione uſus fuerit. Unde cum [3] hoc non te, ſed [4] patrem feciſſe adſeveres, qui tibi nocere non potuit, nihil tibi obeſſe poteſt. Dat. 2. Id. April. *Sirmii*, CC. CONSS. 293.

De pœnitentia.

27. Iidem AA. & CC. Olympiadi.

FIdeicommiſſum ejus, qui reliquerat, pœnitentia [5] probata, ſucceſſores nunquam præſtare compelluntur. Dat. 5. Kalend. Octob. *Viminacii*, CC. CONSS. 293.

De fideicommiſſo ſervis propriis relicto.

28. Iidem AA. & CC. Tiberio.

EX fideicommiſſo ſub conditione ſine [6] libertate ſervis propriis inutiliter dato libertas peti non poteſt. Dat. 15. Kalend. Novemb. *Trans mare*, CC. CONSS. 293.

De teſtamento, quod jure non valet.

29. Iidem AA. & CC. Achilleo.

EX teſtamento, quod jure [7] non valet, nec fideicommiſſum quidem, ſi non ab inteſtato [8] quoque ſuccedentes rogati probentur, peti poteſt. Dat. 8. Kal. Decemb. CC. CONSS. 293.

De tacita conditione, ſi ſine liberis deceſſerit.

30. Imp. JUSTINIANUS A. Demoſtheni P. P.

CUm acutiſſimi ingenii vir, & merito ante alios excellens Papinianus in ſuis ſtatuerit reſponſis [9], *ſi quis filium* [10] *ſuum heredem inſtituit, & reſtitutionis poſt mortem oneri ſubegit, non aliter hoc videri diſpoſuiſſe, niſi* [11] *cum filius ejus ſine ſobole vitam ſuam reliquerit:* nos hujus ſenſum merito mirati, pleniſſimum ei donamus eventum: ut [12] ſi quis hæc diſpoſuerit, non tantum filium heredem inſtituens, ſed etiam filiam, vel ab initio nepotem, vel neptem, pronepotem, vel proneptem, vel aliam deinceps poſteritatem, & eam reſtitutionis poſt obitum gravamini ſubjugaverit: non aliter hoc ſenſiſſe videatur, niſi ii, qui reſtitutione onerati ſunt, ſine filiis, vel filiabus, nepotibus, vel neptibus, pronepotibus, vel proneptibus fuerint defuncti: ne [13] videatur teſtator alienas ſucceſſiones propriis anteponere. Recitata ſeptimo [14] in novo conſiſtorio palatii Juſtiniani. Dat. 3. Kal. Novemb. DECIO V. C. CONS. 529.

De relictis a filio præterito.

31. Idem A. Joanni P. P.

QUidam filium ſuum a ſacris [15] paternis remiſit, & poſtea teſtamento condito eum præteriit [16], nullo ei penitus relicto, aliis heredibus derelictis: ipſum autem, quem neque heredem, neque exheredatum fecit, fideicommiſſo prægravavit: *Quærebatur*, ſi utile eſſet hujuſmodi fideicommiſſum? Tota igitur antiqua dubietate ſuper hoc exploſa, nobis in hoc caſu placuit [17], ut emancipatus (utpote injuria [18] a patre adfectus [19]) non compellatur fideicommiſſum a ſua perſona relictum præſtare. † Quod etiam in aliis perſonis, quas exheredari neceſſe eſt, locum habere cenſemus. Dat. Prid. Kalend. Mart. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. 531.

De herede jurare, vel ſolvere cogendo.

32. Idem A. Joanni P. P.

QUæſtionem ex facto emergentem reſecantes, & voluntati mortuorum proſpicientes, ſancimus, ſi ſine [20] ſcriptura, & præſentia teſtium fideicommiſſo derelicto fideicommiſſarius elegerit heredis juramentum [21], vel forſitan legatarii, vel fideicommiſſarii, quotiens ab eo relictum eſt fideicommiſſum, ſive univerſitatis, ſive ſpeciale: neceſſe [22] habere heredem vel legatarium, ſeu fideicommiſſarium, prius jurejurando de calumnia [23] præſtito, vel ſacramentum ſubire, & omni inquietudine ſeſe relaxare: vel ſi recuſandum exiſtimaverit ſacramentum, aut certam [partem, vel] quantitatem manifeſtare fideicommiſſario derelictam noluerit, ſi forſitan majorem fideicommiſſarius expetat: omnimodo exactioni fideicommiſſi ſubjacere, & eum ad ſatisfactionem compelli: cum ipſe [24] ſibi judex, & teſtis inveniatur, cujus religio, & fides a fideicommiſſario electa eſt, nullis teſtibus, nulliſque aliis adventitiis probationibus requiſitis. Sed ſive quinque ſint teſtes, ſive minores, vel nemo: cauſam per illius ſacramentum, vel dandum, vel recuſandum ſuam habere tam firmitatem, quam exactionem, ſive pater ſit, qui fideicommiſſum dederit, ſive extraneus: ut æquitatis ratio communiter in omnes procedat. Cum enim res per teſtium [25] ſolennitatem oſtenditur: tunc & numerus [26] teſtium, & nimia ſubtilitas requirenda eſt. Lex etenim, ne quid falſitatis [27] incurrat per duos [28] forte teſtes compoſitum teſtamentum [29], majorem numerum teſtium expoſtulat: ut per ampliores homines perfectiſſima veritas reveletur. Cum autem is, qui aliquid ex voluntate defuncti lucratur, (& maxime ipſe heres [30]: cui ſumma auctoritas totius cauſæ commiſſa eſt) dicere compellitur veritatem per ſacramenti religionem: qualis locus teſtibus relinquatur, vel quemadmodum ad extraneam fidem decurratur, propria, & indubitata [fide] relicta? cum & in leges reſpeximus, quæ juſtis diſpoſitionibus teſtatorum omnimodo heredes obedire [31] compellunt: & ſic ſtrictius cauſam exigunt, ut etiam amittere [32] lucrum hereditatis ſanciant, eos, qui teſtatoribus ſuis minime paruerint.

Si heres relictum ſolvere noluerit.

In AUTHENT. de heredib. & falcid. §. ſi quis autem non implens. col. 1. tit. 1. Novell. 1.

HOc amplius qui defuncti judicium lege non repræſentatum monitus a judice intra annum non implet, excluditur eo, quod præter debitum naturale perceperit ex eodem judicio. † Hoc autem cum onere ſuo, danda ſuper hoc cautione, defertur primo ſubſtitutis, mox ordine ſervato coheredibus adeuntibus vel generali fideicommiſſario, vel legatario ſoli, vel ex pluribus in parte potiori, vel ſpeciali fideicommiſſario, vel legatario majoris emolumenti, vel omnibus, vel volentibus, vel libertate in teſtamento donatis, prout quiſque eorum prior nominatus eſt: exheredatis ne hic quidem reſpectis: Poſtremo defertur extraneo, vel fiſco.

TIT. XLIII.

COMMUNIA DE LEGATIS, ET FIDEICOMMISSIS, ET DE IN REM MISSIONE TOLLENDA.

Quæ actiones legatariis, vel fideicommiſſariis competant, & de legatorum differentiis ſublatis.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Demoſt. P. P.

CUm hi, qui legatis, vel fideicommiſſis honorati ſunt, perſonalem actionem plerumque habere noſcantur: quis vel vindicationis [33], vel ſinendi [34] modo, aliorumque [35] generum legatorum ſubtilitatem prono animo admittat, quam poſteritas optimis rationibus uſa nec facile ſuſcepit, nec inextricabiles circuitus laudavit? quis in rem [36] miſſionis ſcrupuloſis utatur ambagibus? Rectius igitur eſſe cenſemus, in rem quidem miſſionem penitus aboleri: omnibus vero tam legatariis quam fideicommiſſariis unam [37] naturam imponere, & non [38] ſolum perſonalem actionem præſtare, ſed & in rem, quatenus eis liceat eaſdem res ſive per quodcunque genus legati, ſive per fideicommiſſum fuerint derelictæ, vindicare in rem actione inſtituenda, & inſuper utilem Servianam, id eſt hypothecariam ſuper his quæ fuerint derelicta, in res mortui præſtare. Cum enim jam hoc jure noſtro increbuit, licere [39] teſtatori hypothecam rerum [ſuarum] in teſtamento quibus voluerit dare, & iterum novellæ [40] conſtitutiones in multis caſibus, & tacitas [41] hypothecas introduxerunt: non ab re eſt etiam nos in præſenti [42] caſu hypothecariam donare [actionem,] quæ [etiam] nullo verbo præcedente poſſit ab ipſa lege induci. Si enim teſtator ideo legata, vel fideicommiſſa reliquit, ut omnimodo perſonæ ab eo honoratæ ea percipiant, apparet ex ejus voluntate etiam præfatas actiones contra res teſtatoris eſſe reſtituendas: ut omnibus modis voluntati ejus ſatisfiat, & præcipue cum talia ſint legata vel fideicommiſſa, quæ piis [43] actibus ſunt deputata. Et hæc diſpoſuimus, non tantum ſi ab herede fuerit legatum derelictum vel fideicommiſſum, ſed & ſi a [44] legatario vel fideicommiſſario vel alia [45] perſona quam gravare fidei-

1 Vid. *l.* 38. *in fin. ff. de leg.* 1. 2 Dolo facit qui legatum petit, quod jam repudiavit. facit *l.* 36. *ff. ad l. Aquil.* 3 Si legatum filiofamil. factum fuerit, & pater id repudiaverit, id ipſe filius petere poteſt. *l.* 44. *Synopſ.* 2. *c.* 8. §. 3. 4 Repudiatio patris filio non nocet. vid. *l.* 11. *ſupr. de jur. delib.* vid. Hot. 8. *conſ.* 5 Pœnitentia fideicommiſſum revocari poteſt. vid. *l.* 3. *in fin. ff. de adim.* 6 Servis propriis citra libertatis donationem fruſtra fideicommittimus. vid. *l.* 4. *C. de leg. l.* 88. §. 13. *ff. de leg.* 2. 7 *l.* 23. *ſupr. h. t. l.* 8. §. 1. *ſupr. de codicill. l.* 1. *in fin. ff. de hered. pet. l.* 4. *l.* 29. *ff. qui teſtam. l.* 11. §. 1. *ff. de legat.* 3. 8 Legata in teſtamento inutili non debentur, niſi repetita ab inteſtato fuerint. Salic. *l.* 13. *ff. de inoffic.* ab inteſtato dare dicimus, ſi teſtamento clauſula codicillaris ſit adjecta. vid. *l.* 11. *infr. de teſtam. manumiſſ. l.* 41. §. 3. *ff. de vulgari.* vide ad hunc locum Paponem 20. *Arreſt.* 1. *num.* 5. 9 Id eſt, libro 9. reſponſorum: ut conſtat ex *l.* 102. *ff. de cond. & demonſt.* 10 Fideicommiſſi reſtitutioni poſt mortem ſuam filius obnoxius, intelligitur fideicommiſſum ſub hac conditione reſtituere gravatus, ſi ſine liberis deceſſerit, *ut hic.* ut hinc conſtet, huic ſententiæ locum non eſſe: quoties extraneus fideicommiſſi reſtitutione oneratur. *Gloſſ. in l. ex facto.* 17. §. *ſi quis rogatus.* 4. *ff. ad SC. Treb.* vid. Socin. *reg.* 167. 11 Liberi gravati hereditatem poſt mortem ſuam reſtituere intelliguntur gravati ſi deceſſerint ſine liberis. *d. l.* 102. *l.* 6. *C. de inſtitut.* vid. Papon. 20. *Arreſt.* 1. *num.* 1. 12 Nota regulam. 13 Filius quoties de reſtituenda hereditate gravatur, ſubintelligitur clauſula, *Si deceſſerit ſine liberis*, ut eo caſu teſtator plus dixiſſe, minus ſcripſiſſe præſumatur, ne videatur alioquin alienos & extraneos ſucceſſores ſuis prepoſuiſſe. vid. Alciat. 1. *præſumpt.* 9. Quid ſi filius reſtituere piæ cauſæ ſit rogatus, & liberos ipſe reliquerit? Quidam putant eum cogi reſtituere, quod iniquiſſimum puto. Impius enim videtur pater, qui ſuorum curam non habet, ut Apoſtolus teſtatur. Huc etiam aureum dictum Auguſtini pertinet, quod in jus Canonicum relatum eſt 17. *quæſt.* 4. *c. ult.* vide plura apud Tiraquell. *privilegio* 17. *piæ cauſæ.* 14 Vid. quæ dixi ad *l.* 30. *ſupr. de jur. dot.* 15 Vid. *l. ult. infr. ad SC. Tertull.* 16 Legata & fideicommiſſa relicta a filio præterito non debentur. *l.* 2. *D. de leg.* 3. dic idem a patrono præterito. *l.* 31. §. 3. *D. de fideicomm. libert.* 17 Hæc eſt 35. deciſio ex 50. novis Juſtinian. vid. Inglois. *Anſ.* 18 Præteritio patris ignominioſa. Sic præteriti a cenſore Senatores ignominioſi. 19 Vide Feſtum *in præteriti in fin.* 20 Poteſt enim ſine ſcriptura relinqui. *l.* 22. *ſupr. h. t.* Goth. Declarationem hujus legis vid. apud Inglois *deciſ.* 9. *quæſt.* 1. *num.* 4. Vaud. *lib.* 2. *var. quæſt.* 14. Guid. Pap. *deciſ.* 331. facit §. *ult. Inſtit. de fideicommiſſ. hereditat.* & quomodo in praxi intelligenda vid. Joann. a Sande *deciſ. Friſicar. lib.* 4. *tit.* 5. *defin.* 18. Anſ. 21 Jurans heres relictum a defuncto aliquid eſſe, tenetur ex minus etiam ſolenni voluntate relictum præſtare. vid. Manticam 1. *de conject.* 9. 22 Negans fideicommiſſum cogitur jurare vel ſolvere. §. 12. *Inſt. de fideicomm.* 23 Juramentum deferens jurare prius de calumnia cogitur. vid. *l.* 1. *ſupr. de jurejur. propter calumn. l.* 9. *ſupr. de reb. cred. l.* 34. §. 4. *l.* 37. *ff. de jurejur. l.* 11. §. 1. §. 2. *ff. rer. amot.* 24 Quoties de judicandi munere agitur, nemo ſimul teſtis & judex eſſe debet. Hæc tamen duo in ejus perſonam, cujus jurijurando res ab adverſario committitur, coire poſſe videntur. adde Cujac. 12. *obſ.* 19. verbi gratia in cauſa propria poteſt quis eſſe teſtis & judex conſenſu adverſarii. Bald. *hic.* 25 Teſtes ad ſolennitatem teſtamenti pertinent, *ut hic.* Quid numerus teſtium? ad ſolennitatem extrinſecam pertinere poſſis dicere. numerus enim teſtium forma eſt teſtamenti accidentalis, non ſubſtantialis, hæc nulla lege, vel conſuetudine mutari poteſt. *l. ult. ſupr. de teſt. milit.* Illa, nimirum accidentalis, poteſt. Nam vel lege, vel ſtatuto teſtium numerus poteſt augeri, vel minui. *l. ult. C. de teſt. l. divus.* 24. *ff. l. milites.* 15. *ſupr. de teſt. milit.* 26 In his quæ teſtibus neceſſario probari oportet, certus numerus & ſolennitas exigitur. adde *l. ubi.* 12. *ff. de teſtib.* 27 Teſtium ſolennitas inducta eſt, ne quid in teſtamentis falſi induceretur. unde colligunt, teſtamentum non ſolenne injuſtum eſſe, & falſo admittendo obnoxium, & ne quidem in foro conſcientiæ obſervandum eſſe. Quid ſi falſitatis ſuſpicio eſſet & confeſſum ſit ſeu indubitatum teſtamentum ita factum, licet non ſolenniter? vid. apud Mantic. 2. *de conjecturis* 14. 28 Teſtamentum duobus tantum teſtibus præſentibus compoſitum quaſi falſum. 29 Hanc vocem interpungit editio Haloandri, probatur tamen interpunctio a Cujac. 18. *obſ.* 9. ut hic ſit ſenſus, Ne quid falſi teſtes fabricent & committant, quod facilius ex compoſito facturi ſunt duo teſtes quam plures, ideo plures teſtes deſiderari in fideicommiſſis: puta quinque, ut plures rem communicent, uti loquitur *lex* 32. *ff. de furtis.* ut efficiant voluntatem. *l.* 22. *ſupr. de teſtament.* 30 Heredi ſumma autoritas totius cauſæ commiſſa. 31 *Novell.* 1. *cap.* 1. *Novell.* 48. *c.* 1. 32 Tanquam indignos. Paul. 3. *ſent.* 5. §. 10. adde quæ dixi ad *l.* 4. *C. de his, quæ ut indign.* Hodie quidem amittit non tamen quaſi indignus. *Nov.* 1. 33 Ulp. 24. §. 3. §. 7. 34 Ulp. 24. §. 5. Goth. In hanc legem vid. Anton. Merend. *lib.* 3. *controverſ. cap.* 48. 49. Anſ. 35 Puta ex damnatione per præceptionem. Ulp. 24. §. 2. §. 4. §. 6. §. 8. §. 11. 36 In rem miſſionis ſolennitas ſublata. *l. ult.* §. 2. *C. h. t.* 37 Legata [illegible] fideicommiſſis exæquantur. *l.* 1. *ff. de leg.* 1. 38 Legatario tres competunt actiones, ex teſtamento, rei vindicatio, hypothecaria. *l.* 2. *infr. h. t.* §. 2. *Inſt. de leg. l. ult.* §. 2. *infr. h. t.* 39 Teſtator res ſuas poteſt hypothecæ ſubjicere. 40 *l.* 1. §. 1. *ſupr. de rei uxor. act.* 41 *tit. infr. in qu. cauſ. pign. tacite.* 42 Tacita hypotheca in bonis teſtatoris legatariis competit. 43 Legata piis actibus deputata, favorabilia. 44 Ab herede, legatario, fideicommiſſario fideicommittere poſſumus. vid. *l.* 9. *ſupr. de fideic.* 45 Puta donatario mortis cauſa, dixi ad *d. l.* 9. adde *l. unic.* §. 7. *C. de caducis.*

commiſſo

commiſſo poſſumus, fideicommiſſum cuidam relinquatur. Cum enim non aliter valeat, niſi [1] aliquid lucri adferat ei a quo derelictum eſt, nihil eſt grave, etiam adverſus eum non tantum perſonalem, ſed etiam in rem & hypothecariam extendere actionem in rebus quas a teſtatore conſecutus eſt. † In omnibus autem hujuſmodi caſibus in tantum, & hypothecaria unumquemque conveniri volumus; in quantum perſonalis actio adverſus eum competit: & hypothecam eſſe non [2] ipſius heredis, vel alterius perſonæ quæ gravata eſt fideicommiſſo rerum, ſed tantummodo earum quæ a teſtatore ad eum pervenerint. Dat. 15. Kal. Octobr. *Chalcedone*, DECIO V. C. CONS. 529.

Exæquatio legatorum & fideicommiſſorum.

2. Idem A. Juliano P. P.

OMne [3] verbum ſignificans teſtatoris legitimum ſenſum, legare vel fideicommittere volentis, utile atque validum eſt, ſive directis [4] verbis, quale eſt *Jubeo* [5] forte: ſive [6] precariis utatur teſtator, quale [7] eſt *rogo, volo, mando, fideicommitto:* ſive juramentum interpoſuerit: cum & hoc nobis audientibus ventilatum eſt, teſtatore quidem dicente ἐν ὅρκῳ [8], partibus autem hujuſmodi verbum huc atque illuc lacerantibus. Sit igitur (ſecundum quod diximus) ex omni parte verborum non inefficax voluntas ſecundum verba legantis, vel fideicommittentis, & omnia [9] quæ naturaliter inſunt legatis, & fideicommiſſis inhærere intelligantur: & contra quidquid fideicommittitur, hoc intelligatur eſſe legatum, & ſi quid tale eſt, quod non habet naturam legatorum, hoc ei ex fideicommiſſis accommodetur: & ſit omnibus perfectus eventus, & ex omnibus naſcantur in rem actiones, & ex omnibus hypothecariæ, ex omnibus perſonales. Ubi autem aliquid contrarium in legatis & fideicommiſſis eveniet, hoc fideicommiſſo quaſi humaniori aggregetur, & ſecundum ejus dirimatur naturam. Et nemo moriens putet legitimam voluntatem reprobari, ſed noſtro ſemper utetur adjutorio: & quemadmodum viventibus providimus, ita & morientibus proſpiciatur, & ſi ſpecialiter legati tantum faciat teſtator mentionem, hoc & legatum & fideicommiſſum intelligatur, & ſi fidei heredis, vel legatarii [10] aliquid committatur, hoc & legatum eſſe videatur. Nos enim *non verbis* [11], *ſed ipſis rebus leges imponimus.* Dat. 10. Kal. Mart. *Conſtant.* poſt conſulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. 531.

De optione legata. 2. *De non alienandis rebus reſtitutioni ſubjectis.*

3. Idem A. Joanni P. P.

SI duobus vel tribus hominibus, vel pluribus forte optio ſervi vel alterius rei fuerit relicta, vel [ſi] uni quidem legatario optio ſervi, vel alterius rei relicta eſt, ipſe autem moriens plures ſibi reliquerit heredes: *dubitabatur* inter veteres, ſi inter legatarios, vel heredes legatarii fuerit certatum, & alter alterum ſervum, vel alteram rem eligere velit, quid ſit ſtatuendum? † Sancimus itaque in omnibus hujuſmodi caſibus rei judicem fortunam eſſe, & ſortem [12] inter altercantes adhibendam: ut quem ſors prætulerit, is quidem habeat poteſtatem eligendi, cæteris autem æſtimationem præſtet contingentium eis partium, id eſt, ſervis quidem & ancillis majoribus decem annis, ſi ſine arte [13] ſint, viginti [14] ſolidis æſtimandis: minoribus vero decem annis, non amplius quam in decem ſolidos computandis: ſin autem artifices ſint, uſque ad triginta ſolidos æſtimatione eorum procedente, ſive maſculi, ſive fœminæ ſint: exceptis notariis, & medicis utriuſque ſexus: cum notarios quinquaginta ſolidis æſtimari velimus, medicos [15] autem & obſtetrices [16] ſexaginta. Eunuchis [17] minoribus quidem decem annis uſque ad triginta ſolidos valentibus, majoribus vero uſque ad quinquaginta: ſin autem artifices ſint, uſque ad ſeptuaginta. §. 1. Sed & ſi quis optionem ſervi vel alterius rei reliquerit non ipſi legatario, ſed [18] quem Titius forte elegerit, Titius autem vel noluerit eligere, [vel non potuerit,] vel morte fuerit præventus, & in hac ſpecie *dubitabatur* apud veteres quid ſtatuendum ſit: utrumne legatum exſpiret, an aliquod ei inducatur adjutorium, ut viri boni arbitratu procedat electio? Cenſemus itaque, ſi intra annale tempus ille qui eligere juſſus eſt, hoc facere ſuperſederit, vel minime potuerit, vel quandocunque deceſſerit: ipſi legatario videri eſſe delatam electionem: ita tamen, ut [19] non optimum ex ſervis, vel aliis rebus quidquam eligat, ſed mediæ æſtimationis, ne dum legatarium ſatis eſſe fovendum exiſtimamus, heredis commoda defraudentur. §. 2. Sed quia noſtra majeſtas per multos caſus legatariis, & fideicommiſſariis proſpexit; actioneſque tam [20] perſonales, quam in rem & hypothecarias dedimus, & in [21] rem miſſionis tenebroſiſſimus error abolitus eſt: & ad hanc legem pervenimus. Nemo [22] itaque [heres] ea quæ per legatum vel pure vel ſub certo die relicta ſunt, vel quæ reſtitui aliis diſpoſita ſunt, vel ſubſtitutioni ſuppoſita, ſecundum veterem diſpoſitionem putet in poſterum alienanda [23], vel pignoris, vel hypothecæ titulo adſignanda, vel mancipia manumittenda: ſed ſciat [hoc] quod alienum [24] eſt, non ei licere, utpote ſui patrimonii exiſtens, alieno juri applicare: quia ſatis abſurdum eſt, & irrationabile, rem quam in ſuis bonis pure non poſſidet, eam ad alios poſſe transferre, vel hypothecæ, pignoriſve nomine obligare vel manumittere, & alienam ſpem decipere. §. 3. Sin autem ſub [25] conditione, vel ſub incerta die fuerit relictum legatum vel fideicommiſſum univerſitatis, vel ſpeciale, vel ſubſtitutione, vel reſtitutione: melius quidem faciet, ſi & in his caſibus caveat ab omni venditione, vel hypotheca, ne ſe gravioribus oneribus evictionis nomine ſupponat. † Sin autem avaritiæ cupidine propter ſpem conditionis minime implendæ, ad venditionem, vel hypothecam proſiluerit: ſciat quod conditione impleta ab initio cauſa in irritum devocetur: & ſic intelligenda eſt quaſi nec ſcripta, nec penitus fuerit celebrata: ut nec uſucapio, nec longi temporis præſcriptio contra legatarium, vel fideicommiſſarium procedat. † Quod ſimiliter [obtinere] cenſemus in hujuſmodi legatis ſive pure, ſive ſub die certo, ſive ſub conditione, ſive ſub incerta die relicta ſint. Sed in his omnibus caſibus legatario quidem, vel fideicommiſſario omnis licentia pateat rem vindicare, & ſibi adſignare, nullo obſtaculo ei a detentatoribus opponendo.

In AUTHENT. de reſtit. & ea, quæ part. §. quamobrem præſentem. col. 4. tit. 18. al. 6. Novell. 39. cap. 1.

REs, quæ ſubjacent reſtitutioni, probibentur alienari quidem, vel obligari. Sed ſi [26] *liberis portio legitima non ſufficit ad dotis* [27], *ſive donationis* [28] *propter nuptias obligationem: permittitur res prædictas in eam cauſam alienare, vel obligare pro modo honeſtati perſonarum congruo. Ea enim, quæ communiter omnibus proſunt, his quæ ſpecialiter quibusdam utilia ſunt, præponimus.*

§. 4. Emptor autem ſciens [29] rei gravamen, adverſus venditorem actionem habeat tantum ad [30] reſtitutionem pretii, neque duplæ ſtipulatione, neque melioratione [31] locum habente: cum ſufficiat [32] ei ſaltem pro pretio, quod ſciens dedit pro aliena re, ſibi ſatisfieri. Creditori nihilominus pignoratitia contraria actione adverſus debitorem competente: ut ex omni parte omnique ſtudio id, quod ſemper properamus ad effectum perducatur, & ultima [33] elogia defunctorum legitimum finem ſortiantur, bonæ [34] fidei proculdubio emptoribus integra jura, & nullo modo ex hac conſtitutione deminuta contra venditores habentibus. Dat. Kal. Septembr. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. 531.

TIT. XLIV.

DE FALSA [35] CAUSA [36] ADJECTA LEGATO, VEL FIDEICOMMISSO.

1. Imp. ANTONINUS A. Septimo.

VErba teſtamenti, quæ inſeruiſti, aut ſolutam [37] pecuniam debitam teſtatori declarant, aut voluntatem ejus liberare volentis debitorem

1 Inutile legatum eſt quod legatario non prodeſt. vid. *d. l.* 9. 2 *l.* 4. *ff. de ſeparation.* 3 *l.* 21. *ſupr. de legat.* adde *l.* 11. *in pr. ff. de leg.* 3. 4 De directis & precariis dixi ad *l.* 2. *ſupr. de codicill.* adde Cujac. 11. *obſ.* 25. 5 *Jubeo* eſt verbum directum: non omnino tamen. *C. hic. ibi, forte:* quaſi diceret, de hoc verbo dubitari poſſe. *l.* 28. §. *pen. ff. de lib. leg.* vide Cujac. 11. *obſ.* 25. 6 Jurans aut jurare juſſus a teſtatore heres ſe præſtiturum legata ex teſtamento minus ſolenni, obligatur: ut hinc colligas, clauſulæ codicillaris vim habere ejuſmodi juramentum: non deberi quaſi ex teſtamento, ſed quaſi ex codicillis. Vid. Mantic. 1. *de conject.* 9. Porro quibus caſibus ſubintelligatur clauſula ſuperior, dictum eſt in *l. ult. ſupr. de codicillis.* 7 Verba precaria. §. *ult. Inſt. de ſingul. reb. per fideicomm.* Ulp. 25. §. 2. Paul. 4. *ſent.* 1. §. 6. 8 Lege, ἐνορκῶ, unica dictione, quod interpretari poſſumus, *adjuro*, vel *jurejurando convenio*, eadem forma qua ἐξορκῶ, id eſt, *liquido juro*, & ita quoque Gloſſæ Græcorum exponunt. Eſt enim frequens teſtatori cum juriſjurandi religione heredes onerare legati, vel fideicommiſſi præſtatione. *l.* 77. §. 23. *ff. de leg.* 2. *ut in l.* 3. *ff. de jure fiſci. per Deum rogo te. C. &* §. 1. *Inſtit. de fideic.* Tertull. *de præſcript. Ego ſum heres Apoſtolorum: ſicut caverunt teſtamento ſuo, ſicut fideicommiſerunt, ſicut adjuraverunt. Per ſalutem Principis:* ut male Alciat. 4. *diſpunct.* 12. exemplum ponat hoc modo, Juro me daturum centum: Nam ex hac ſcriptura neque legati, neque fideicommiſſi petitio eſt. Et hoc quoque perperam Accurſius. Si heres juraverit ſe daturum. Nam hæc conditio jure remittitur. vid. Cujac. 17. *obſerv.* 25. Neque ea adjuratio, per deos, in teſtamentis tantum, ſed & aliis negotiis inter vivos veteribus fieri ſolita. Cicero 13. & 14. *ad Brutum: ſubveni per deos: propera per deos.* & 16. *ad Atticum* 6. *per deos expedi.* Autor ad Herennium 4. *per deos amplexare.* Terentius *Andria act.* 5. *ſcena* 1. *per ego te Deos oro.* 9 *l.* 1. *ff. de leg.* 1. §. 3. *Inſt. de leg.* 10 Olim a legatario legari non potuit, a fideicommiſſario potuit. Gajus 2. *tit.* 7. §. 4. Ulp. 24. §. 20. 11 Non verbis, ſed rebus leges imponuntur. *l.* 3. *C. de lib. præt. l.* 1. *C. de latina libert. l.* 3. §. 9. *ff. de adim. vel transfer. l.* 9. *C. quæ res pignor.* Cicer. 2. *de inventione.* 12 Sorte quædam privata finiuntur. Cic. 1. *offic. in princ.* Quoties plures, quibus optio eſt relicta, diſſentiunt in eligendo, ſorte res dirimitur, *ut hic &* §. 23. *Inſt. de leg.* ut & aliis caſibus: puta, ſi de deponendis apud aliquem inſtrumentis *l.* 5. *ff. familiæ.* de diviſione bonorum inter coheredes facienda agitetur. *l.* 1. *C. quando & quibus quarta pars lib.* 10. *tit.* 34. ſi dubitatur quinam priores cauſam dicere debeant. *l.* 14. *ff. de jud.* ſi de ſervis manumittendis. *l.* 24. §. 17. *ff. de fideic. libert.* aut de liberis dividendis quæſtio ſit. *Novell.* 162. *c.* 3. *in fin.* Olim quoque ſortitione dabantur judices. Contra, epiſcopus ſortibus eligi prohibetur. *l.* 47. *C. de epiſc. & cleric.* His adde Mynſing. 4. *obſ.* 37. ubi quærit, quemadmodum diviſionem inter fratres fieri oporteat. An forte, An potius diviſio ſeniori fratri committenda ſit, electione juniori data. 13 Qui ſine arte ſunt ſervi majores decem annis, viginti ſolidis æſtimantur: minores decem annis, decem ſolidis: Notarii, quinquaginta: Medici & obſtetrices, ſexaginta: reliqui artifices triginta: Eunuchi minores decem annis, triginta; majores annis decem ſine artificio, quinquaginta, cum artificio, ſeptuaginta. 14 De pretio communi ſervorum dicam ad *l.* 1. §. 5. *C. de comm. ſerv. man.* 15 Medicorum ad commendationem hic locus pertinet, quod plurimum æſtimentur: Nam quod minus hic æſtimentur quam Eunuchi, vitium temporis fuit, non artis. adde Forn. 2. *ſelect.* 8. Poſſis & hinc obiter etiam colligere: Servos medicinam exercuiſſe, de quo dixi ad *l.* 1. §. 5. *C. de com. ſer. manum.* qui tamen teſtes, *l.* 20. §. 7. *ff. qui teſtam. l.* 11. *C. de teſtib.* & tabularii, *l.* 3. *C. de tabular.* patroni cauſarum, *arg. l.* 1. *C. de poſtulando:* & judices eſſe non poterant, *l.* 3. *ff. de offic. præt. l.* 12. §. 2. *ff. de judiciis.* Puto uſui medicinæ perneceſſario id datum fuiſſe, cum & alias mulieres medicæ eſſe poſſint. *l.* 1. §. 5. *verſ. Sin autem. C. de comm. ſervo.* An ſervi, epiſcopi, clerici & monachi eſſe potuerint, vid. *Novell. Leon.* 9. 10. 11. De ſervis plura dixi ad *l.* 3. *in fin. ff. de cap. minut. l.* 32. *l.* 209. *ff. de reg. jur.* 16 De obſtetricibus, medicis adde *l. pen. C. de poſthum. hered. l.* 9. *ff. ad l. Aquil.* 17 Eunuchorum pretia. adde *tit. C. de Eunuchis.* 18 Optio rei legatæ quoties committitur tertio: illo non eligente intra annum, vel morte prævento, electio transfertur in legatarium. ut *l.* 28. *ff. de cond. & demonſtr.* 19 Legatarius non rem optimam, ſed modicæ æſtimationis eligere debet. *l.* 37. *ff. de leg.* 1. 20 *l.* 1. *l.* 2. *C. h. t.* 21 *d. l.* 1. *Novell.* 39. *in pr.* Paul. 4. *ſent.* 1. §. 15. In rem miſſio fiebat fideicommiſſorum nomine herede non exiſtente ſolvendo adverſus extraneos rerum hereditariarum poſſeſſores. 22 Rei reſtitutioni ſubjectæ pure, vel certa die alienatio, pignoratio & manumiſſio non tenet ipſo jure, *ut hic:* niſi certis caſibus jure novo. *Auth. proxima. C. h. t. Nov.* 39. *c.* 1. 23 Adde *l.* 15. *ff. de reb. dub. l.* 70. *ff. ad SC. Trebell.* 24 Vide *C. de rebus alienis.* 25 Res ſub conditione, vel ſub die incerta reſtitutioni obnoxiæ, poſſunt interim alienari, vel obligari: ſed tamen adveniente caſu reſtitutionis, fingitur retro nulla alienatio, vel obligatio. *d. l.* 15. *l.* 17. *ff. quib. mod. uſusfr.* 26 Reſtitutioni res obnoxiæ poſſunt hodie certis caſibus perpetuo alienari. vid. *in hanc authen.* Roland. a Vall. 1. *conſ.* 85. *num.* 5. *& ſeq. &* 4. *conſ.* 27. 27 Doti ſeu in dotem dari poſſunt etiam quæ alienari prohibita, *ut hic.* quod non tantum locum in dote de novo conſtituta habet, ſed & in dote quam filius accepit vivo patre reſtituendam: ſive filia pro ſe ſive pro liberis (quos certis caſibus dotare cogitur) dotem dare velit: ſive inter vivos pater ſive teſtamento dotem velit filiæ conſtituere, ſive filia elocata ſit nulla, vel exigua dote: ſi mulier maritum ſe dignum non reperiat, niſi omnia bona reſtitutioni obnoxia in dotem daret; ſive tale fideicommiſſum univerſale ſive particulare & purum, ſive alienatio expreſſe prohibita a teſtatore, vel ſtatuto per juramentum firmato, ſive privato ſive Eccleſiæ reſtitutio hujuſmodi bonorum facienda ſit: ſive mulier de cujus dote agitur, fœcunda ſit, ſive ſterilis. Quin beneficium id tranſire ad filii & filiæ heredes putant, ut & ad eum cui mulier ceſſit jura dotalia: ſed & in dote in qua mulier habet fidejuſſorem obligatum: & in re emphyteutica reſtitutioni obnoxia, nimirum ut dotis & ſimilium cauſa alienari poſſit etiam ſine conſenſu domini. Perpetuam quoque hujus beneficii cauſam eſſe exiſtimant, ut res dotis, vel ſimilis cauſæ nomine detracta ex fideicommiſſo, nunquam ad fideicommiſſarium revertatur. Accurſ. Bart. Bald. Caſtrenſis, Jaſon *hic.* Aliud cenſent, ſi alia bona extent, ex quibus dos aut donatio propter nuptias dari poſſit: ſi dominii alienatio prohibita, ſi fœmina juſſa ſit reſtituere, ſi extraneus, aut qui liberorum numero non ſit, reſtituere ſit juſſus: ut *ex* Dyno, Jacobo de Arena, Salicet. Bald. Caſtrenſi, Nicolao de Neapoli refert Socin. *regul.* 12. ſi res ſui natura alienari non poteſt, veluti feudum. vid. Socinum *regul.* 324. 28 Alienari prohibita in dotem & propter nuptias donationem dari poſſunt, *ut hic:* ſed & pro alimentis, redemptione ſui vel aliorum captivorum, cauſa pia. Socin. *regul.* 3. & 324. exceptiones vid. *C. h. t.* 29 Scienter emens rem reſtitutioni ſubjectam re evicta, habet actionem ad pretium tantum, non ad duplum, etiam ſi duplum promiſſum fuerit. 30 *l.* 27. *C. de evict.* 31 Qui rem alienam ſciens comparat, meliorationes factas amittit: quod & ſtricti juris eſt. dixi ad *l.* 38. *ff. de petit. hered.* 32 Quaſi dicat, potuit ſummo jure pretium ipſum quoque amittere. 33 Ultima elogia legitimum finem ſortiri debent. 34 Bonæ fidei emptor re evicta non modo duplam promiſſam, ſed ipſas quoque meliorationes recipit.

35 Falſa cauſa legandi, legata non vitiat. *l.* 12. *l.* 17. §. 2. *l.* 72. §. 6. *ff. de cond. & demonſt.* §. 31. *Inſt. de leg.* Ulp. 24. §. 19. niſi probetur teſtatorem, ſi ſciviſſet cauſam falſam, non fuiſſe relicturum. vid. Wurmſ. 1. *pract.* 39. *obſ.* 20. 36 Adde *L.* 35. *D.* 1. Cauſa eſt ratio legandi præteritum aliquid præſupponens, ſive demonſtrans. *l.* 12. *in fin. ff. de cond. & demonſtrat.* Quatuor hæc ſeparantur, Conditio, Demonſtratio, Cauſa, Modus αἵρεσις, δήλωσις, αἰτία καὶ τρόπος. 44. *Eclog.* 29. 37 His verbis, *Soluta eſt mihi pecunia*, liberatio relinquitur, *l.* 4. *C. eod.* vid. *l.* 31. *ff. de lib. leg.* Goth. Ad intellectum hujus legis vid. Ant. Merend. *contr. jur.* [illegible] 2. *c.* 27. Anſ.

mani-

manifeſte oſtendunt. Et ideo, aut peti quod [1] ſolutum eſt non poteſt, aut ex cauſa fideicommiſſi, ut debitor liberetur, agendum eſt: niſi [2] liquido probari poſſit cum non liberari debitorem voluiſſe, ſed errore [3] lapſum ſolutum ſibi pecuniam exiſtimaſſe. PP. 7. Kalend. Martii, ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

2. Imp. ALEXAND. A. Fauſtinæ.

ETiamſi veritas debiti [4] non ſubeſt, falſa tamen demonſtratio [5] non perimit legatum, & ex teſtamento ejus quoque nomine competit actio. PP. 7. Id. Novembr. ALEXANDRO A. CONS. 223.

Si maritus legat dotem uxori certa quantitate non expreſſa, oportet uxorem probare numerationem. Salic.

3. Idem A. Verinæ.

SI non [6] deſignata certa quantitate dotem tibi legavit maritus, ſed *quodcumque ad eum dotis nomine perveniſſet, perventurumve eſſet*, & id ex teſtamento petis: neceſſaria probatio eſt numeratæ pecuniæ. Quod ſi quantitatem [7] expreſſerit, debetur [8], & ſi in dotem datum non [9] eſt: quaſi aliud legatum, non eo jure, quo dos fungitur. PP. Non. Maji, MAXIMO II. & ÆLIANO CC. CONSS. 224.

4. Imp. GORDIAN. A. Alexandro.

SI (ut proponis) defuncta [10] in matrimonio uxore tua patri [11] ejus reddidiſti, vel etiam ea non reddita, teſtamenti verbis (ut adſeveras) munitus es, quibus ſe recepiſſe [12] dotem univerſam quondam ſocer tuus ſignificavit: ſi hoc nomine conveniris, ſollicite agere non debes: cum aut ſoluta dote, nulla ſuperſit actio, aut non reddita, adverſus petentem juxta defuncti voluntatem parata ſit exceptio. PP. 15. Kal. Jun. SABINO II. & VENUSTO CC. CONSS. 241.

Si legatur dos facta relatione ad inſtrumentum dotis, nihil aliud requiritur, niſi quod inſtrumentum loquitur. Bald.

5. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. & CC. Severæ.

REfert [13] largiter, [an] dotem tibi reddi maritus, an quæ [14] *inſtrumento dotali conſcripta ſunt*, legavit, ſeu precariis verbis ſtatuit: quippe [cum] ſuperiore quidem caſu datum probanti repeti tantum, poſteriore vero nihil [15] nocente falſa demonſtratione [quod] ſignificatum [eſt] inſtrumento, poſtulari poſſit. S. 14. Kal. Decembr. CC. CONSS. 293.

TIT. XLV.
DE HIS QUÆ SUB MODO [16] LEGATA, VEL FIDEICOMMISSA RELINQUUNTUR.

1. Imp. ANTONINUS A. Saturninæ.

IN [17] legatis quidem, & fideicommiſſis etiam modus [18] adſcriptus pro [19] conditione obſervatur. Sed ſi per te non ſtat, quominus voluntati teſtatoris pareas, ſed per eum, cui [20] *nubere* [21] juſſa es, quo minus id, quod tibi relictum eſt, obtineas, non oberit. PP. 5. Kal. Januar. [22] GENTIANO, & BASSO CONSS. 212.

2. Imp. GORDIANUS A. Ammonio P. P.

EX [23] his verbis, *Titio decem millia, vel inſulam relinquo, ita ut* [24] *quinque millia ex his, vel eandem inſulam Mævio reſtituat*: licet ante [25] neque legati, neque fideicommiſſi petitio naſcebatur, tamen in libertate [26] a D. Severo hoc admiſſum eſt. Sed & in pecuniariis cauſis [27] voluntatis tuendæ gratia non immerito recipiendum eſt, ut etiam ex hujuſmodi verbis, ſive [28] ad conditionem, ſive ad modum reſpiciant, ſive ad dandum, vel faciendum aliquid: fideicommiſſi actio omnifariam naſcatur, videlicet in [29] conditionibus poſt exitum earum. Sin vero legato, aut fideicommiſſo relicto, teſtator legatarium, ſeu fideicommiſſarium prohibuerit, vel heredem ſuum, vel alium quendam debitum exigere: habet debitor adverſus legatarium, ſeu fideicommiſſarium agentem, uſque ad quantitatem [relicti, ſive] fideicommiſſi, ſive legati exceptionem [30]. PP. 6. Id. Auguſt. SABINO II. & VENUSTO CONSS. 241.

TIT. XLVI.
DE CONDITIONIBUS [31] INCERTIS [32] TAM LEGATIS, QUAM FIDEICOMMISSIS, ET LIBERTATIBUS.

De conditione, ſi ſine liberis deceſſerit.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Claudiæ.

CUm [33] teſtatorem fideicommiſſum Tralliano [34] ab eo, quem pro parte heredem inſtituerat, ita reliquiſſe proponas, [35] *Si ſine liberis inſtitutus diem obierit*: iſque nepotem quem ex filia ſuſceperat, heredem inſtituerit: conditionem adſcripti fideicommiſſi defeciſſe, manifeſtum eſt: niſi alia defuncti voluntas evidenter probetur. PP. Non. Decembr. LATERANO, & RUFINO CONSS. 198.

De conditione divortii.

2. Idem AA. Galliano.

CUm patremfamilias fideicommiſſi nomine, quod in diem certam reliquit, ita cavere præcepiſſe proponas [36], *Si a marito non* [37] *diverteriſſet*, juriſdictionis [38] originem perinde ſervari æquum eſt, ac ſi nihil ſuper ea re ſcriptum fuiſſet. Nec [39] exemplum legati, vel hereditatis, in quibus conditio divortii nonnunquam remitti ſolet, huic rei comparandum eſt: cum [40] abſurdum ſit, ideo perpetui officii negligi formam, quia patris ſui voluntati non obtemperatur. PP. *Antiochiæ*, 11. Kalend. Auguſt. ANTONINO A. II. & GETA II. CONSS. 206.

De conditione, ſi cum focaria, matreque ejus moretur.

3. Imp. ANTONINUS A. Aurelio militi.

SI ea conditione Aulazanus [41] legata teſtamento præſtari voluit, *ſi cum focaria ſua* [42] *matreque ejus moraretur*, & per eum ſtetit, quo minus voluntati teſtatoris pareret: cum [ſua] ſponte ſtipulatæ teſtamenti non [43] obtemperaverit, ad petitionem non admittitur. PP. 6. Id. Jul. LÆTO II. & CERREALE CONSS. 216.

De conditione nuptiarum.

4. Imp. ALEXAND. A. Liciniæ.

LEgatum, ſive fideicommiſſum a patre tuo relictum tibi ſub conditione, *ſi* [44] *filio ejus nupſiſſes*: cum mortuo [45] filio, priuſquam matrimonium cum eo contraheres, conditio defecerit, deberi tibi exiſtimas. PP. Kal. Decembr. ALEXAND. A. II. & MARCELLO CONSS. 227.

5. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Fauſtino.

SI uxorem tuam tempore [46] nuptiarum [47] in patris poteſtate fuiſſe monſtretur, fideicommiſſi commodum ei relictum, *cum* [48] *nupſerit*, nullo alio diem ejus cedere prohibente, patri quæſitum non ambigitur. † Quod ſi a patre ante nuptias emancipata fuerit, ac poſtea deceſſerit, ſuperſtite patre, & marito: ac liberis: actionem fideicommiſſi ſibi competentem ad heredes ſuos tranſmiſit. S. 6. Kal. Febr. *Sirmii*, CC. CONSS. 293.

De conditione pluribus perſonis injuncta.

6. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

SI plures perſonæ unam conditionem implere fuerint juſſæ, apud Ulpianum dubitabatur, utrumne omnes ſimul eandem facere debeant, an ſinguli quaſi ſoli implere eam compellantur? Videtur autem nobis unumquemque [49] neceſſitatem habere conditionem implere, & pro portione ſibi contingente accipere quicquid ex hoc commodi eſt: ut hi quidem, qui compleverint juſſa, ad lucrum vocentur, qui autem neglexerint, ſibi imputent, ſi ab hujuſmodi commodo repellantur. Dat. 3. Kal. Auguſt. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. 531.

1 Quod ſolutum eſt, peti non poteſt. 2 Alias præſumitur pro qualibet depoſitione. vid. Alciat. 3. *præſumpt.* 21. 3 Erronea teſtatoris confeſſio non nocet. 4 Demonſtratio hæc fuit: *Decem quæ Titio debeo.* 5 *l.* 3. *l.* 5. J. *h. t. l.* 17. *l.* 33. *ff. de cond. & demonſt.* §. 30. *Inſt. de leg.* Ulp. 24. §. 19. ἡ πλασὴ ἀπαρίθμησις. *Synopſ. Baſil.* 44. *tit.* 16. *cap.* 62. hac ſententia, Falſa demonſtratio nunquam legata perimit. Ideoque ſi quis ita legaverit, Do lego huic aureos centum quos ei debeo: licet nihil debeatur, legatum valet ὡς ἀπὸ ἀπαριθμήσεως, tanquam ex numeratione. Harmenopulus 5. *tit.* 10. §. 24. hanc legem ita reddit, Falſa numeratio legata non perimit, unde ſi quis legans ita dixerit, *do huic tot nummos, quos ipſi debeo*, etiamſi non debeat, ſed falſo id dixerit, valet tamen legatum. 6 Dos incerta ſimpliciter uxori ſi prælegatur, uxor dotis quantitatem probare debet: alias legatum eſt inutile ei: ſi certa, non debet: eſtque remiſſo probationis onere, legatum utile, *ut hic. &* §. 15. *Inſt. de legat. l.* 6. *ff. de dote præleg.* 7 Demonſtratio hæc fuit, *Decem quæ in dotem accepi.* 8 Imo non debetur. *l.* 1. §. 7. *ff. de dot. præleg.* 9 Falſa demonſtratio his verbis innuitur, de qua vid. *l.* 2. *ſupr. h. t.* 10 Mortua filia in matrimonio dos patri ejusve heredibus reddi debet. 11 Pater liberationem dotis legare poteſt. 12 His verbis liberatio relinquitur, ut *l.* 1. J. *h. t.* 13 Dos, ſi ad inſtrumentum dotis relatione facta, legatur, ſtatur inſtrumento: ſi ad dotem, veritas inquiritur. 14 Demonſtratio hæc fuit: *Quæ inſtrumento dotali conſcripta ſunt, do, lego.* 15 *l.* 2. *ſupr. h. t. l.* 75. §. 1. *ff. de leg.* 1. *l.* 33. *ff. de cond. & demonſtr.*

16 Adde *L.* 35. *D.* 1. Modus eſt finis propter quem legatur, vel cauſa legandi collata in futurum, verbi gratia lego Titio centum ut quinquaginta Mævio reſtituat. *l.* 2. J. *h.t.* 17 Quoties alicui ſub modo legatum relinquitur, puta, *ut hoc faciat*, capit ille quidem legatum: verum ſi modus defecerit, legatum amittit. Modus enim eſt conditionis eventus in legatis & fideicommiſſis; ſi vero legatum mulieri relictum fuerit, *ut Petro nuberet*, ac legatum quidem acceperit, ſed Petrus eam ducere nolit, legatum reddere non cogitur. Nec enim per eam ſtetit, quo minus impleatur conditio. *Synopſ. Baſ.* 44. *tit.* 28. *c.* 1. 18 Modus eſt quaſi conditio, & ita ſæpius appellatur. *l.* 8. §. 7. *ff. de condit. inſtit. l.* 21. §. 3. *ff. de annuis leg. l.* 71. §. 1. *l.* 108. *ff. de cond. & dem. l.* 3. *in fin. l.* 4. *ff. de donat.* Non eſt tamen proprie conditio. *l.* 17. §. 2. *l.* 44. *in fin. ff. de manum. teſt.* Modus eſt, cum ita legamus ut aliquid fiat. *l.* 2. J. *h. t. l.* 17. *in fin. ff. de cond. & demonſtr.* 19 Id eſt, impleri debet, quemadmodum & conditio. 20 *l.* 31. *ff. de cond. & demonſtr.* 21 Modus hic fuit, ut Saturnina nuberet Titio. 22 *Al.* Februarii. Pammelius *in vita Tertull.* Nam pridie nonas Februarii Severus periit: adde quæ ſcripſi ad *l.* 3. *ſupr. de legat.* 23 Vid. ad hanc *l.* Cujac. 14. *obſ.* 25. 24 Nota genus modi. 25 Olim ex modo non oriebatur actio, hodie oritur. 26 Finge ita legatum fuiſſe ut ſervum manumitteres, ut *l.* 48. *ff. de fideic. libert.* 27 Quod olim non fuit. 28 *l.* 21. §. 3. *ff. de annuis legat.* 29 V. Cuj. *d. l.* 30 Pro legatis ſub modo relictis, competit actio & exceptio.

31 *Lib.* 35. *D.* 1. 32 *Incertis*, Hal. 33 Si quis alicui legatum ſub hac conditione reliquerit, *ſi ſine liberis heres diem ſuum obeat*, iſque nepotibus ex filia deceſſerit, deficit conditio. Nam quum relictis liberis mortuus ſit, etiam legatum inutile eſt, niſi alia defuncti voluntas evidenter probata fuerit. *Synopſ. Baſil.* 44. *tit.* 29. *c.* 1. 34 *Trallianis.* Hal. 35 *Si Titius heres meus pro parte ſine liberis deceſſerit, partem ſuam hereditatis Tralliano reſtituito.* Titius nepotem ex filia heredem inſtituit: num debetur Tralliano fideicommiſſum? non debetur. Nec enim decedit ſine liberis, qui nepotem ex filio relinquit heredem: facit *l.* 48. *ff. ſoluto.* 36 Heres legatario ſatisdat legati ſub conditione, vel in diem relicti nomine. *l.* 1. *ff. ut legat.* niſi teſtator cautionem remiſerit, *l.* 7. *infr. ut in poſſeſſ. leg.* His ita conſtitutis, teſtator ita teſtatus eſt: *Filia poſt vigeſimum annum Sempronio fundum dato.* eidemque Sempronio caveat ſub hac conditione, *Si non diverterit.* Sempronius ſibi caveri petit. Cautio denegatur Sempronio. Movetur, filia quod ſuperiori conditione a patre ad divertendum provocata videatur, quum divortii conditio turpis natura ſua ſit. Sempronius turpem quidem eſſe conditionem admittit, ſed hoc adjicit, turpes conditiones pro non adjectis haberi, cavendum igitur. 37 Cui contraria eſt, ſi a marito diverterit. *l.* 5. *ſupr. de inſtitut.* 38 Id eſt, edicti quo heredes legatorum nomine cavere jubentur: ne alioquin relictum aliquod novum putes, quo relicta ſub conditione ita demum captantur, *ſi conditio conſummata ſit*, quale nunquam auditum fuit. 39 Ratio dubitandi, de qua vid. Cujac. 9. *obſ.* 6. 40 Argumentum a contrario ſenſu in legibus, ſtatutis & ultimis voluntatibus eſt validum, *ut hic*: niſi hujuſmodi interpretatione inducatur legis, ſtatuti, vel juris communis emendatio: vel ſententia juri ejuſve rationi contraria, ſi contrarius ille caſus jure deciſus ſit: ſi qui ſtatuerunt, ea interpretatione inciderent in pœnam. Id quoque in ſtatuto emendante non obtinere putant: ſi interpretatio ſubintellecta ſtatuto ipſo prohibita ſit: ſi in ſtatuto dictio, ut vocant implicativa (*uti maxime*, & ſimilis) adjecta ſit: ſi alia mens eſſet contrahentium, aut teſtantium, ſi hoc genus argumenti a verbis narrativis legis vel canonis, vel a cauſa impulſiva, non finali, vel ab una tantum cauſa finali ſumitur: ut notat Socinus *reg.* 28. adde Manticam 3. *de conject.* 15. 16. 17. Everardum *in Topicis loco* 82. *argumento a contrario ſenſu.* 41 Puto legendum *Aulazano*, eo ſenſu: *Aulazano centum do lego, ſi cum focaria ejuſque matre morabitur.* Per Aulazanum ſtetit, quo minus voluntati teſtatoris fieret ſatis: Aulazanus fruſtra legatum petit. 42 De focaria, vid. *l.* 2. *ſupr. de donat. int. vir. l.* 12. §. 5. 6. *l.* 15. *ff. de inſtruct.* Paul. 3. *ſent.* 6. §. 37. 43 Legatarius faciendi debitor, ſi non facit, legatum non accipit. *l.* 1. *ſupr. de inſtit. l. un.* §. 2. *verſ. vel ipſum.* J. *de caducis.* 44 *Liciniæ centum do lego, ſi filio meo nupſerit.* filius moritur: Liciniæ non debetur legatum. vid. Cujac. 17. *obſerv.* 22. 45 *l.* 31. *ff. de cond. & demonſtr.* 46 *Titiæ centum do lego cum nupſerit.* Nupſit Titia in patris poteſtate adhuc poſita. Cuinam legatum quæſitum eſt, Titiæne an ejus patri? patri. *l.* 14. *in fin. ff. quando dies leg. l.* 78. *ff. de verb. oblig.* nam legati dies ceſſit tempore nuptiarum quo Titia nondum fuit emancipata. In legatis conditionalibus tempus conditionis inſpicimus. *l.* 28. *ff. de pignor.* in ſtipulationibus factis a filiofamil. tempus contractus, non conditionis inſpicitur. *l.* 78. *ff. de verb. oblig.* 47 Nuptæ etiam filiæ in parentum poteſtate eſſe poſſunt. *l.* 12. *ſupr. de coll.* An & in mariti? ſunt etiam in ejuſdem poteſtate, quod ad ſervitia, vid. Wurm. 1. *pract.* 36. *obſ.* 9. 48 De legato cum nupſerit. 49 Pluribus injuncta conditione, impleta conditio non prodeſt, niſi implenti. *l.* 44. *in fin. ff. de hered. inſtit.* Faciendo quiſque ſibi conditionem implet, non alteri. *l.* 13. *ff. de manumiſſ. teſtam.* Interdum neceſſe eſt ab omnibus conditionem impleri, puta quoties individuum factum eſt. *l.* 13. §. 2. *ff. de ſtatulib.*

D

De eo, qui juſſus eſt liber eſſe, ſi certum quid heredi dederit.

7. Idem A. Joanni P. P.

CUm quidam [1] teſtamento condito libertatem ſervo ſuo dereliquit ſub conditione, *ſi ſuo heredi certum numerum ſolidorum præſtaret*, vel *aliam quandam ſpeciem*, vel *vicarium ſervum*: Ille autem ſervus non in eodem [2] loco conſtitutus, ubi etiam heres fuerat, herili teſtamento cognito properabat ad heredem cum ipſo, quod juſſus erat dare heredi; ſed in medio latronum, vel hoſtium incurſione, [vel alio fortuito caſu] peremptum eſt, quod portabat: *Quærebatur* inter antiquos, ſi præpediretur libertas, quia hoc dare ſervus non poteſt propter memoratum fortuitum caſum? Itaque veterum dubietate quieſcente, nobis placuit, ut & libertas omnimodo competat, & commodum, quod heredi, vel extraneo relinquitur, non [3] abſtrahatur. Ex quacunque igitur cauſa impediatur, ſive per heredem, ſive per eum, cui dare [aliquid] juſſus eſt, ſive per fortuitos caſus, in libertatem quidem ipſe omnimodo perveniat, niſi ipſe ſervus noluerit adimplere conditionem: obnoxius tamen conſtituatur poſt libertatem heredi, vel ei, cui dare aliquid juſſus eſt, (niſi [4] & ipſe oblatas pecunias non ſuſceperit: quod enim ſemel [5] repudiatum ab eo eſt, redintegrari minime concedimus) quatenus hoc, quod dare juſſus eſt, omnimodo implere compellatur: vel ipſo mancipio [præſtando] ſi exiſtat: vel [6] in æſtimatione ejus, non amplius, quam in quindecim [7] ſolidos computanda: vel in alia re, ſi & ipſa appareat: vel ſi non exiſtat, vera ejus æſtimatione præſtanda. Dat. Prid. Kal. Maji, *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. Anno 2. 532.

TIT. XLVII.
DE USURIS [8] ET FRUCTIBUS LEGATORUM, SEU FIDEICOMMISSORUM.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Maximo.

LEgatorum [9], ſeu fideicommiſſorum uſuras ex eo tempore quo lis [10] conteſtata eſt, exigi poſſe manifeſtum eſt: Sed & fructus rerum, & mercedes ſervorum, qui ex teſtamento debentur, ſimiliter præſtari ſolent. Propoſita Prid. Kal. Auguſt. ÆMILIANO [11] & FRONTONE CONSS. 200.

2. Imp. ANTONINUS A. libertis Caſſiani.

ADverſus eos [12], qui ſub obtentu legis Falcidiæ legata [13] morantur, notiſſimum eſt juris auxilium. Si igitur propoſita ſtipulatione cavere [14] cum ſatisdatione poteſtis *vos reſtituturos, quanto amplius quam per eam legem licet*, acceperitis: Judex, qui de fideicommiſſis jus dicit, ſolida vobis legata præſtari jubebit. Quod ſi ſatisdationem implere non potueritis: arbitrio [15] dato certum diem vobis præfiniet, intra quem altera parte ceſſante partibus ſuis fungetur. Et ſi [16] conſtiterit legi Falcidiæ locum non eſſe, & uſuras & fructus poſt litem conteſtatam percipietis. PP. 16. Kal. Jun. DUOBUS & ASPRIS CONSS. 213.

3. Imp. ALEXAND. A. Paterno.

SI homines certi per fideicommiſſum tibi relicti fuerint, poſt moram periculo [17] debitoris fideicommiſſi ſunt. Propoſita 12. Kal. April. JULIANO II. & CRISPINO CONSS. 225.

4. Imp. GORDIAN. A. Dionyſio.

IN legatis & fideicommiſſis fructus [18] poſt [19] litis conteſtationem, non ex die mortis conſequuntur [20], ſive in rem, ſive in perſonam agatur. PP. Non. Septemb. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

TIT. XLVIII.
DE INCERTIS [21] PERSONIS.

1. Αὐτοκράτωρ Ἰυςινιανός.

Hujus conſtitutionis meminit Juſtinianus Inſtit. de legatis. §. poſthumo. & Inſtit. De bon. poſſeſſ. in princ. *ex quibus locis hoc argumentum confeci.* A. *Cont.*

CUm olim incertis perſonis nec legata [22] nec fideicommiſſa relinqui poſſent, nec libertas, nec poſthumo [23] alieno, qui nec inſtitui poterat, hæc omnia correxit Juſtinianus: ita tamen, ut incertus [24] tutor nec hodie dari poſſit.

Photius quoque, & Balſamon in Nomocanone *non uno in loco ejus meminerunt, ajuntque eſſe tit.* 48. *lib.* 6. *conſtitutionem unam. Ex his igitur & ſequentes quoque epitomas confeci.*

NUmerat hæc conſtitutio varia themata, variaſque ſpecies, quibus docet id quod illicito [25] collegio relictum eſt, non valere, niſi ſingulis e collegio legatum ſit: contra autem quidquid licito collegio legatur, valere. *Nomocanonis tit.* 12. *cap.* 9.

Item aliud argumentum.

DIcit conſtitutio valere quod relinquitur licito collegio, aut corpori [26], vel clericis, vel collegiis, vel curiæ, vel cohorti præſidis, vel medicis, vel doctoribus, vel advocatis, vel militibus, vel ejuſdem artificii opificibus ſeu artificibus, vel ſacerdotibus, vel cuipiam alii corpori: & ait, relictum dividi viritim, & ex æquis partibus inter eos, qui tempore mortis teſtatoris fuerint deſcripti in albo, præterquam ſi certam quantitatem teſtator unicuique attribuerit. † Dicit quoque ad extremum ea conſtitutio, quod ſi ſemel, aut annuum quid in pios uſus relictum ſit, aut eccleſiis, aut xenonibus, aut ptochiis, aut venerabilibus domibus, aut communi clericorum, aut ad captivorum redemtionem, aut ipſis pauperibus, vel captivis, valeat defuncti voluntas. *Nomocanonis Tit.* 2. *cap.* 1.

Hæc excerpſi ex utraque Nomocanonis Latina tranſlatione, in quibus editionibus, & cæteris ejuſdem farinæ ſunt permulta nobis valde ſuſpecta. Itaque peſſime mihi videntur de nobis omnibus mereri, benevole lector, qui cum Græca habeant, vel βασιλικῶν, *vel Nomocanonis exemplaria, & cætera ad jus pertinentia, ſuppreſſis Græcis ſuas futiles, & indoctas tranſlationes duntaxat edunt, quominus eorum fœdiſſima pleraque peccata ex Græcorum collatione coargui poſſint.*

TIT. XLIX.
AD SENATUSCONSULTUM [27] TREBELLIANUM [28].

De oneribus hereditariis.

1. Impp. SEVERUS, & ANTONINUS AA. Probo.

SI ex ſenatusconſulto quartam partem hereditatis [29] retinuiſti, & dodrantem fideicommiſſario reſtituiſti: quod creditoribus hereditariis pro [30] novem unciis præſtiteris, a fideicommiſſario petere potes. PP. 15. Kal. April. LATERANO & RUFINO CONSS. 198.

De oneribus, & legatis.

2. Imp. PHILIPPUS [A.] & PHILIPP. C. Juliano.

AD eum, cui ex Trebelliano SC. pars hereditatis reſtituitur, ſucceſſionis onera, ſeu legatorum [31] præſtationem pro competenti portione ſpectare, indubitati juris eſt. PP. 18. Kal. Novembr. PEREGRINO & ÆMILIANO CONSS. 245.

De republica.

3. Imppp. CARUS, CARIN. & NUMERIAN. AAA. Zotico, & aliis.

SI per fideicommiſſum hereditas Reipublicæ [32] relicta eſt, ex Trebelliano SC. (quod ab inteſtato [33] quoque locum habet) quartæ partis, & fructus [34] ejus vobis reſtitutio [35] competit. Sine die, & conſule.

De tacita repetitione fideicommiſſi.

4. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Quintianæ.

NOn [36] juſtam te gerere ſolicitudinem per fideicommiſſum relictæ portionis hereditatis perſpicimus, verentem ne fructum amittas relicti fideicommiſſi, quoniam avia teſtatoris ex parte heres ſcripta, & tibi rogata reſtituere, calliditate, ac fraude [37] repudiavit, ut ad alium nepotem eundemque coheredem devolvatur portio, a quo tibi nominatim non fuerat fideicommiſſum relictum, & coacta [38] ſuſpe-

1 Vid. Joann. Zanger. *de Except. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 150. Anſ. 2 Hinc colligitur, Eum qui quid deferre creditoris ad domum tenetur, proprio ſumptu & periculo deferre teneri non creditoris. v. Molin. *de uſur. quæſt.* 9. *n.* 138. 3 Et ita conſtat caſu fortuito non excuſari debitorem. Rei interitu neminem liberari ab implenda conditione. adde *l.* 11. *ſupr. ſi cert. petat. l.* 3. *l.* 20. *ff. de ſtatulib.* 4 *d. l.* 3. §. 1. Ulp. 2. §. 5. 5 Semel repudiatum redintegrari non poteſt. 6 Æſtimatio rei loco eſt. 7 *l.* 35. §. 3. J. *de donat.* de vulgari ſervorum pretio, v. *l.* 1. J. *de comm. ſervo.*

8 *l.* 3. *in fin. ff. de annuis.* Paul. 3. *ſentent.* 8. §. *ult.* Cajus 2. *tit.* 7. *in fin.* De uſuris teſtamentariis vid. Molin. *q.* 73. *de uſur.* Hotomannum 2. *de uſur.* 4. 9 *Synopſ. Baſil.* 44. *tit.* 2. *cap.* 84. 10 Uſuræ legatorum debentur a lite conteſtata, *ut hic: & l.* 4. J. *h. t. l.* 91. *in fin. ff. de leg.* 1. Mora fit ex die litis conteſtatæ. Mora fit cum poſtulanti non datur. Paulus 3. *ſentent.* 8. §. *ult.* atque ita, Quoties ex teſtamento actione legatum petitur; fructus poſt litem conteſtatam capti & partus editi, & ſervo legato quæſiti legatario reſtituuntur. Harmenop. 5. *tit.* 10. §. 33. 11 Anulino. 12 Heredes ſcil. 13 Id eſt, legatorum præſtationem. 14 Paul. 3. *ſentent.* 8. §. 2. 15 Arbiter dabatur ad ineundam Falcidiam. 16 Heres legati ſolutionem denegat, veritus ne creditoribus aliquando imminentibus non habeat unde poſtea Falcidiam detrahat? Dupliciter eo caſu legatariis conſultum eſt. Primum enim cavere poſſunt ſe reſtituturos quanto amplius quam per legem Falcidiam licuerit, acceperint. Secundo, ſi cavere non potuerint, Prætor fideicommiſſarius dabit arbitrum ad ineundam rationem legis Falcidiæ, & diem intra quem ineatur, partibus præſentibus: & ſecundum eam de fideicommiſſo pronunciabit, vel herede non veniente ad diem damnabit eum, ut ſolidum legatum præſtet cum onere uſurarum & fructuum a die litis conteſtatæ. *l.* 3. *ff. de uſur. l.* 78. *ff. de leg.* 2. *l.* 6. *in fin. ff. ſi cui plus quam per leg. Falcid. l. pen. ff. de uſur. l.* 88. *in fin. ff. ad leg. Falcid.* 17 Moram qui admittit, caſus fortuitos præſtat. *l.* 39. §. 1. *l.* 47. *in fin. ff. de leg.* 1. 18 Vid. *l.* 1. *ſupr. h. t.* 19 De fructibus legatorum. 20 Legatarii ſcil. Quæſtio eſt utilis: Cui ſcilicet fructus rei legatæ cedant. Alii hunc locum ita interpretantur: Rei alienæ legatæ fructus non pertinere ad legatarium, niſi a lite conteſtata: rei teſtatoris, pertinere. Accurſ. *hic.* Alii (Galli ſcilicet) heredem non de percipiendis teneri, ſed de perceptis. vid. Bart. *hic.* Ulpianus de percipiendis etiam teneri heredem ait. *l.* 39. §. 1. *ff. de leg.* 1. Paul. 3. *ſent.* 6. §. 46. aliter diſtinguit, Fructus qui ſolo cohærebant mortis teſtatoris tempore, ad legatarium pertinere: ante perceptos, non pertinere. Alii negant fructus perceptos ante aditam hereditatem deberi, alii deberi ajunt. vid. Graſſum *l.* 1. *ſentent.* §. *legatum quæſt.* 71. Cujacius *c.* 18. *de præſcriptionibus.* putat fructus deberi a tempore moræ, ſi per damnationem: a tempore aditionis, ſi per vindicationem res legata ſit. Subtiliter dici poteſt (non loquor de uſuris certæ pecuniæ legatæ) ad eum pertinere qui rei ſit dominus. *l.* 42. *ff. de uſuris. l.* 86. §. 2. *ff. de leg.* 1. ergo ad legatarium, cum recta via dominium rei legatæ tranſeat in legatarium. *l.* 64. *in fin. ff. de furtis.* Verius eſt autem, fructus rei legatæ deberi tantum ex mora, *ut hic*: cum ſingulari jure fructus rei ad pias cauſas legatæ, a tempore mortis debeantur. *l.* 46. §. 4. *ſupr. de Epiſcop. & Cleric. Nov.* 131. *c.* 12. *verſ. Si autem legatum.* Interea ex Harmenop. 5. *tit.* 10. §. 46. *diſcimus*, *Heredem, ſi poſt judicis ſententiam quadrimeſtre tempus in ſolvendo legato fecerit*, commoda ad ſententiam uſque præſtare legatario.

21 Περὶ ἀφανῶν προσώπων. 35. *Ecl.* 18. §. 25. §. 27. *Inſt. de legat.* Ulpian. 22. §. 4. & 24. §. 18. Paul. 3. *ſentent.* 6. §. 13. Incertæ perſonæ ſunt, quas ne quidem teſtator novit, veluti ſi dixerit, *Ei qui filiam meam duxerit*, vel, *qui primus Conſul factus fuerit centum do lego. d.* §. 25. 26. 27. *Inſt. de leg. ubi Theophilus.* Inter incertas etiam perſonas cenſentur poſthumi alieni. Inter incertas etiam perſonas videntur paulo poſt referri collegia, & ſimilia corpora, adde *l.* 4. *ff. de reb. dub.* 22 *d.* §. 25. *d.* §. 18. *d.* §. 13. 23 *Inſt. de bon. poſſ. in pr.* §. 28. *Inſt. de leg.* 24 *d.* §. 27. *l.* 20. *l.* 30. *ff. de teſt. tut.* 25 Illicito collegio legari non poteſt, ergo licito collegio legari poteſt. *l.* 1. *ſupr. de ſacroſ. eccleſ. l.* 8. *ſupr. de her. inſt.* vid. *l.* 38. §. 6. *ff. de leg.* 3. *l.* 20. *ff. de reb. dub.* 26 *d. l.* 20.

27 Quo tempore factum fuerit, vid. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* §. 4. *Inſt. h. t.* Verba ſenatusconſulti vid. *ibid.* §. 2. Trebelliano recentius eſt Pegaſianum. §. 5. *Inſt. eodem.* Trebelliano transferebantur actiones in fideicommiſſarium. Pegaſiano deducendæ quartæ ex fideicommiſſo jus datum eſt. Autore Juſtiniano hodie Pegaſianum in Trebellianum transfuſum eſt. 28 Dixi ad *L.* 36. *ff.* 1. *L.* 2. *Inſt.* 23. 29 Trebellianicam heres deducit ex hereditate, id eſt, ex fideicommiſſo univerſali hereditatis, *ut hic.* niſi inſtitutus ſit contemplatione fideicommiſſarii ipſius: tunc enim nullam quartam retinere notat Accurſ. in *l.* 18. *in fin. ff. h. t.* & ibid. Bald. & Roman. Imola in *l.* 11. *ff. de leg.* 1. *l.* 3. §. *cum Pollid.* 3. *ff. de uſuris.* 30 Deducta quarta ab herede, onera creditorum dividuntur inter heredem & fideicommiſſarium pro quadrante & dodrante, *ut hic*: non deducta, omnia transferuntur in fideicommiſſarium. 31 Fideicommiſſarius pro rata tenetur ad onera & legata, *ut hic. & l.* 1. §. *pen.* §. *ult. ff. h. t.* §. 5. §. 6. *Inſt. h. t. l.* 1. § 19. *l.* 15. §. 1. *ff. ut leg.* Paul. 4. *ſent.* 3. §. 1. 32 Etiam de hereditate reipublicæ reſtituenda quarta detrahitur. facit *l.* 1. §. 5. *l.* 3. *in fin. ff. ad l. Falcid.* 33 Trebelliano & legi Falcidiæ ab inteſtato etiam locus eſt. *l.* 5. *infr. h. t. l.* 6. §. 1. *ff. h. t. l.* 4. J. *de codicill. l. ult.* J. *quando dies leg. l.* 13. *ff. de inoff.* & merito, cum fideicommiſſum ab inteſtato relinqui poſſit. *l.* 5. *infr. h. t. l.* 22. *ſupr. de fideic.* vid. Wurmſ. 1. *pract.* 39. *obſerv.* 17. 34 *l.* 22. §. 2. *ff. h. t.* 35 Alii legunt *inſtitutio.* Cujac. 18. *obſ.* 9 legit *retentio.* 36 Vid. Cujac. *in hanc l.* 18. *obſ.* 12. 37 Id eſt, in fraudem fideicommiſſarii. vid. Cuj. *d. loco.* 38 Heres coactus adire hereditatem, Falcidiam amittit. *ut hic. &* J. *h. t. in fin.* quod ex Pegaſiano in Trebellianum tranſlatum eſt. adde *l.* 14. §. 3. *l.* 28. *ff. h. t.*

ctam